



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Reverendissimi Ac Illustrissimi Domini Domini Francisci  
Fenelonii Archi-Episcopi Cameracensis, Et Quondam Ab  
Humanioribus Litteris Serenissimi Ducis Burgundici  
Telemachus**

**Fénelon, François de Salignac de La Mothe**

**Francofurti, 1744**

**VD18 11007532**

Lib. II. Argumentum. Telemachus captivus in Ægyptum abductus.  
Descriptio Ægypti & laus Regis Sesostris. Telemachus separatus à  
Mentore. Addictus pascuis. Instructus à Termosiri sacerdote Apollinis. ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69283](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69283)

naves Æneæ repeterent Siciliam. Itaque instructo navigio, quo sine cunctatione reveheremur in patriam, donisque cumulatōs etiam urgebat festinare, ut malis imminentibus, quæ prævidebat, nos matura profectio eriperet. Ceterum nec regi, nec promoveri per suos navem voluit, veritus, ne in maritimis Græciæ oris apertum discrimen adirent. Ergo Phœniciæ mercatores destinati ad opus, futuri extra periculum, quoniam commercii iure universis gentibus miscerentur; iussique perfectō negotiō navigium, à quo accepissent, reddere. Verum Diis, quorum arbitriovolvuntur hominum fortes, alia discrimina capitibus nostris decreverant.

## TELEMACHUS. LIBER II.

**S**esoistrem Ægypti Regem, & tot gentium victorem Tyriorum insolentia offenderat. Quippe & auctis mercimonii industriâ opibus & Tyri urbis maritimæ (quam cum fama, expugnari non posse, colebant) elati viribus, imperatum ab eo post victorias tributum recusabant. Germano quoque Regis, cum reversum eum per ipsam solennem cujusdam diei lætitiâ decrevisset cedere, paraverant auxilia.

Tantæ audaciæ imperaturus Rex, constituit, ne libero mari usquam eorum merces commearent, impedire. Ergo missæ naves, ubique rebellibus infestæ. Ex his erant, quæ nobis occurrere, cum paulatim montes Siciliae requirerent oculi. Fugere à nobis portum terrasque credebam, & evadere in nubes. Ac tum quidem hostium classis appropinqua-

B

pinqua-

pinquabat, urbi, quam veherent undæ, similis. Cognito periculô Phœnices deflectebant, elabi festinantes inutili fuga. Námque hostis & velocitate navium, & ventorum auxilio, & nautarum quoque numero præstabat. Itaque oppressi fumus, & ducti in Ægyptum.

Docebam ego, ex nobis Phœnicem neutrum esse. Vix indulgere aures. habiti ab ipsis fumus mancipia eius conditionis, quorum commercia frequentarent Tyrii. Nihil præterquam opimum ex nobis quæstum avaritia victorum meditabatur. Ventum erat, ubi mixtis, quæ ex Nilo decurrunt, aquis pallefcit mare. Ora Ægypti etiam intra conspectum erat, undis, quas compefcit, haud multo superior. Tum ad Pharon insulam, Nûs oppido imminentem, successimus; inde Memphim adverso amne vëcti.

Alendis frugibus mitis Ægyptus est. Horti largè madentis amœnitatem explicat. Nec facilè admittunt numerum passim oberrantes rivi; jucundissimum utriquè intuëntibus spectaculum, nisi dolor in potestate hostium existendi, animos nostros hebetâset ad delicias. Opulentæ urbes & ab iucunditate situs commendanda prædia passim occursabant, utriquè ripæ affusa. Iacebant agri, qui annuis frugibus, quas nunquam cessant reddere, flavent; frequentissimâque armentis pascua. Agrestes quoque meabant, opum, quas beatæ glebæ sinus generat, onusti copiâ. Denique à circumiectis nemoribus clivisque acceptas voces exigebant suavissimè sonantes pastorum fistulæ.

Ad hæc oculorum auriumque oblectamenta comes meus: Beata gens, inquit, cui præest, qui  
non

non caret sapientiâ- Qua re dives, qua parte felix illa non est? ut amat eum, cui sua debet! Ita regnabis (subjungebat ille) ita beabis populos, si quando, Telemache; Dii in caput tuum Patris insignia transferent. Dilige subditum paternò animò. Experire, quam dulce sit, amari Principem; idque age, ut, cum pacis delectatur otio, nunquam non meminerit celebrandum fontem, ex quo illi manat tanta bonorum copia. Humani generis flagella Reges sunt, qui omnem operam in eo ponunt, ut timeantur; qui atterere student subditum, ut tutius imperent. Timentur; id quod desiderant. Sed præterea odium incurrunt, & diras suscipiunt. imò magis timere debent suos, quam timeri à suis.

Heu! quid serò tu imperandi præcepta mihi? ita Mentori respondi. amissa est Ithaca: Nec patriam posthac videbimus, nec Penelopen. Finge Ulysses, celebrati nominis circumfluentem gloriâ, reverti: num propterea ille unquam aut delectari nostro aspectu poterit, aut ego, ut regnandi artes discam, ejus imperiò? moriamur, dilecte Mentor! sperare meliora non licet. moriamur; quoniam Dii misericordiam à nobis averterunt!

Hæc loquentis verba gemitus violabant. Ceterum ille mali, quod instabat, formidinem præcipere solitus, advenientis eius terrore semper caruit. Itaque: Degenerem Ulyssis filium; exclamat, quem fortunæ clades exanimat! impera tibi, ut credas, tempus fore, quod & patriam & Penelopen tibi restituet: Quem adhuc ignoras, Ulysses apparatusu pristinae fortunæ videbis Regem; Ulysses, dico, nunquam hostium, nunquam fortis etiam qualiscunque telis inferiorem, & animi; quem ad

ærumnas invictum afferas, magistrum, experientiâ mali, tuô longe majoris, eruditum. Vah! implacidi maris violentiâ procul gentium abrepto quantus rubor existeret, cognitô, genuisse se nec laboris patientia, nec virtute parem sibi! quàm id multò graviùs infinita sortis suæ varietate acciperet!

Advertere deinde me jussit ad beatam illam copiam, quæ omni Ægypto se offuderat; urbésque, quarum duo admodum & viginti millia numerat. Admirationem illi movebat optima disciplinæ, quam incolæ prosequerantur, ratio; opulentia, quàm paupertati non æquior justitia; studium educandi prolem, eamque obedientiâ, temperantia, artiumque & scientiarum amore imbuendi; præterea Religionis, & quæ illam exornant, cultus sanctissimus, fuga privati commodi, & desiderium gloriæ; fides denique, quam hominibus, & reverentia, quam Diis præstare liberos genitores docuere. Neque à commendandis hisce præclaris moribus cessabat. iterum, iterumque ad me: felices provido Rege, felices tam sancto imperio populi! at longè felicior, qui bonorum tot gentibus auctor est, & deditus virtuti. Vinculum induit humano generi, quod longè, quàm dicere queam, fidentiùs stringit timoris vinculo, quia amantibus induit. Paret illi subditus; imò parere amat, gestitque. Substernunt se omnium animi, adeoque non recusant subesse, ut etiam timeant, prohibentibus fati, subesse non posse; parati, salutem Domini jacturâ suâ redimere.

Neque furdo Mentor canebat. Descendere in hunc animum, quæ dixerat, eique vigorem suum ablato penitus torpore reddiderunt; adeò, ut ad  
modum

modum protracti ab homine tam sapiente, tam amico sermonis succresceret reparata fiducia. Ventum erat Memphim urbem tam opulentam, quàm magnificam, ubi tamen morari non licuit. Quippe continuò prætoris jussu ad ipsum Regem procedendum erat, futurum causæ nostræ, aliàs acerbissimâ in Tyrios irâ judicem. Thebas appellant nunc nobilem Sesostris Regiam, ad quam adverso flumine itum. Centum portæ sunt, quæ aditum in urbem præbent. Immensum spatium ambitu complecti nobis videbatur, & frequentior etiam splendidissimis, copiosissimisque Græciæ oppidis. Sine sordibus plateæ, innoxie & usui opportunè manantes aquæ, commodè structa balnea studium perfectissimæ disciplinæ prodiderunt; accedit artium industria, & quòd tutis incolis commeari licet. nullum forum est, saliente quod careat, obeliscis ad nitorem ejus circumeuntibus. Templà ex marmore structa majori augustæ dignitatis apparatu, quàm artis. At Regis palatium vel ipsum speciem magnæ urbis reddit, ubique aut subjectis columnarum marmoribus aut eminentibus gigantum simulacris, aut conflata ex auro argentove suppellectili visentibus admirabile.

In Phœnicum nave nos fuisse nunciabant Regi, qui Tyrios mercatores interceperant. In more positum Sesostris erat statim in diem horis audire, qui aut querelas afferrent, aut nuncios. Nemo vilis adeò, cui negaret aditum; credebátque se ob hoc solum deferre Regis insignia, ut beneficeret subditis, quos haud secus quàm pater diligebat. Neque exteris austerus erat. Præstò sibi illos esse voluit, quoniam aliarum gentium mores & insti-

ruta credebat nunquam inutiliter sciri. Eaque novitatis industria nos quoque accersivit ad Regem. Ex ebore erat, quod occupabat solum, ex auro sceptrum. Nihilque amœnitati ejus gravior ætas detraxerat. Admirabilis mansuetudo ingenii, & oris dignitas. Ius & judicium in dies populis reddidit, idque vera laude patientiæ, sapientiæque. Exacto componendis imperii & justitiæ negotiis die, vespertinum otium doctis, aut optimis viris dabat, quos amicitia suæ probè noverat deligere. Sanctus erat omnino, nisi quòd iusto magnificentior eius ex subactis Regibus triumphus fuit, quòdque uni homini, de quo protinus, se permisit.

Commotus meo Juvenis & dolentis aspectu Rex, patriam & nomen rogat. Tum ego, quam admirabili eius sapientia atque ubertate dicendi unà cum Mentore perculsus; Decem annis oppugnata, infinito denique totius Græciæ impendio everfa Pergama, Rex magne, haud ignoras. Inter eos, qui excidère, Ulysses Genitor meus & ipse clarissimus fuit. Nullus in pelago sinus, nulla insula est, quam non oberrat incertis itineribus. Neque tamen Ithacam, insulam & Imperium suum, valet attingere. Filius parentem quæro. Illius iniquæ sorti æquale fatum est, quòd venerim in exterorum manus. Redde me Patri, redde me Patriæ. Sic incolumem pignoribus te tuis præsent Dii, velintque ea sub paterna mansuetudine dulcius acquiescere.

Tenebat interim oculorum misericordia, quam in me adiecerat Rex. Cæterùm, an sincerè pronunciâssem, exploraturus, ad purpuratum ambos misit, iussum ab iis, qui navem nostram ceperant, inqui-

inquirere, Græcine essemus (quod affirmabam) an ex Phœnicia? quòd si istud, inquit; geminum supplicium merentur ut & hostes & rei de impudenti mendacio. Sin alterum, humaniter acceptos ex navibus nostris una patriæ suæ restituet. Græcos amo, quibus non pauci gentis nostræ dederunt leges: Virtutem Herculis revereor: ad Nilum penetravit Achillis gloria: Neque minùs, quæ de malè fortunati Ulyssis sapientia rumor disperfit, suspicimus. Voluptas nostra est auxilio esse miseræ virtuti.

At verò quàm ad sublimia erectus, quàm integer Sesostris, tam depravatus, tam ad fallendum acutus erat animus ejus, ad quem causam nostram rejecerat disceptandam. Metophi erat nomen. Interrogandi fraude studiosè nobis insidiatus, cum circumspèctus, quàm ego, Mentor responderet, averfari eum & suspectum habere cœpit. Nunquam enim probitati æquum scelus. Ergo à latere meo Mentor distrahitur, ut ex eo tempore illum penitus ignorarem. Haud aliàs magis stupui attonitus improvise malo. Et Metophis quidem sperabat pertinaciùs, si interrogaremur diversi, fieri posse, ut contraria eliceret. Multò minùs dubitabat, fore ut eblandirentur ex me promissa, quod celâffet comes. Nimirum simplex explorator veri non erat, sed captiosus auceps tituli, quo apud Regem commentus, Phœnices esse, nos servitiis suis manciparet. Et profectò nec innocentia nostra, nec Regis Divina quædam, & singularis sapientia, quò minùs falleretur, prohibere potuit. Eheu! quot periculis septa Regum conditio, quos ne summa quidem rerum cognitio ab impostorum



solertiis præstat immunes. Versutia, & quæ uni desudat sibi, industria thronos stipat; recedit inde fides, quoniam neque Aulæ anhelat officia, neque gratiam prensat, neque ad adulationem se novit componere. Non obtrudere se vir bonus, sed expectare requirentis operam solet; quam quotusquisque Principum impendit? contra verò ad audendum profilit malitia: fraudes machinatur: ut in animos influat, ut placeat, impense generosa est; simulationis artificio erudita, & vel per honoris & rectæ mentis dispendium prono ad omnia studio, ne quid ejus, qui dominatur, libido desideret. Ah Regem miserum, cui nullus adversum improborum artes locus! occidit, nisi rejectis assentatorum lenociniis aures & animum illi dedicabit, qui liberè confitetur verum. Ita ego tunc mecum, recenti malo admonitus omnium, quæ unquam ex Mentore perceperam.

Oasin solitudinem vocant, montibus horridam, in quam me cum mancipio iniquissimus iudex dimisit, futurum in custodiendo pecore, quo abundabat, socium. Hic rupto silentiò Telemachi sermonem interpellans Calypso: & quid tum agebas, inquit, qui mortem servituti præferebas in Sicilia? Augebatur in dies (ita ille) mea calamitas; & ne miserabile quidem illud solatium aderat, quo servitutum cum morte compararem. Cogebam servire, & quasi universas fortunæ clades accipere. Spes tota me deseruit. Et quid tunc vel mutire pro libertate utiliter potui, iniquo homine ad omnia diligenter obsurdeseente? Æthiopibus se venundatum Mentor subinde narravit, atque ita in eorum terras venisse.

Ego

Ego verò in deserta perveni omni vastitate affecta. Steriles campi jacent obruti fervente sabulo, & exurente vestigia. Inde (quod mireris) nives cernere est, easque perpetuas, quæ montium occupantes cacumina æternæ hyemis rigorem servant. Itaque non aliàs nisi intra petrarum sinus, armentorum pabulum gignitur. Quà ferè ad interiora prærupti omnique aditu circumcisi montes coeunt, dirimuntur vallibus, quas humilior situs propè ab aspectu solis depressit.

Pastores tenent vastissimam regionem (neque enim tunc aliud inveni hominis vestigium) sed & ipsi incultis moribus, & à loci, quem colunt, asperitate nihil diversi. Ergo noctes lacrimis, quas affundebam sorti meæ, dies autem commissi pecoris custodia exacti, ne haberet ibi servientium præcipuus, quod in me tam inhumano quàm rerum suarum cupido furore notaret. Quippe ex perpetuis aliorum accusationibus, quibus occupabat aures Domini, liberum se sperabat fore, gratumque illi studium, quod contentio pro rebus ejus accenderet. Buti erat nomen.

Tum quidem adedò ingravescebat fati mei calamitas, ut mirari debeam, non oppressisse. Fortè dolendi magnitudine fatigatus, securusque custodia, juxta cavernam in virentem humum languentes artus projeceram, mori perseverans, quoniam non audebam deinceps tot mala sustinere: Cùm montes commoveri, relictis sedibus suis visæ pinus & ilices descendere, torpere venti. Vox deinde humanâ gravior ex antro emissa: Fili Ulyssis, cujus exemplò dura ferendò comparabis gloriam! felices esse parùm merentur Principes, qui nunquam

fuerunt infelices: privat eos mollitia viribus, ratione superbia. Næ tu beatus eris, si victor fortis tuæ, nunquam memori animo illam finas effluere. Ithaca te, nomen tuum sidera excipient. Vitæ necisque aliorum subinde dominus, cave obliviscaris statum hunc tuum, in quo infirmus, egenus fuisti, corúmque afflictus ritu. Ama sublevare miseriam: tuos dilige: adultores preme. Denique eundem affectionum tuarum & gloriæ tuæ modum futurum crede.

Intimos animi sinus intrabat non expectatum Oraculum, novóque voluptatis sensu perfusum erectúmque eum confirmavit. Neque enim, qui Diis cum homine loquentibus agentibúsve rigore percellit venas, me horror invaserat. Surgo præsens animi; supplex & elatis etiam manibus Minervam colo: illi quippe gratiam responsi me existimabam debere. Mirabar alium in me Telemachum, illapsum rationi lumen, alacritatem periu-cundam ad coërcendos impetus animi, & impotentiam indomitæ iuventutis. Inde cæpi omnium pastorum hisce sterilibus in locis florere gratia. Demum agendi facilitate patientiæque, ac quæ incumbebant, præstandi religione etiam Buti illi effero, & ab autoritate inter servitia insolenti, ipsaque servitutis meæ initia crudeliùs aggravanti, satisfeci.

Ad leniendam creptæ libertatis & humanæ consuetudinis molestiam petebam à libris auxilium. Dolori enim succubueram, quoniam ratio nulla suppetebat, quæ aleret foverétque hunc spiritum. Felices, dixi, quos indomitæ voluptatis non obtrevit impetus, quique illecebris expertem vitam iucundè

cundè

cundè nôrunt traducere. Felices, qui erudire se præceptis gaudent, & acuere doctrinis ingenium. Quoquò gentium adversâ fortunâ expulsis, qui occupari legendis libris queunt, nunquam deest temporis bellissimè fallendi subsidium, & prævertendæ, quacum vel in ipso voluptatis amplexu inficitia conflictatur, molestiæ. Felices iterum, quibus curæ libri & (quod abest mihi) in promptu sunt. Inter has cognitiones me in silvam densis arboribus immisi. Et ecce ibi hominem, qui senium vultu, librum manu præferabat!

Frons illi eminentior & spoliata pilis, rugisque leviter descripta. Ad cingulum, quo lumbi coercerantur, promissa barba candida dignitatem proceri corporis augebat. Ipsa oris species eadem adhuc ætate viva & rubicunda; oculi acuti, nec torpentes gravitate; denique vox lenis, & obfermonis, quo utebatur, simplicitatem auribus suaviter se insinuans. Non aliàs virum ætate magis venerabilem se meminerunt videre hi oculi. Thermosirin se dicebat, & in templo, quod ex marmore structum Divo nemoris Præfidi dedicassent Ægypti Reges, sacerdotis officiò Apollinem colere. Hymnos Deorum, compendio succisos, in librum, quem ferebat, congesserat. Salutabar amicissimè: collatòque sermone res gestas tam apertè recensuit, ut non tam auribus quàm oculis, tam non prolixè, ut nunquam cum fastidio acceperim. Acutè intuebatur futura. nec hominum ingenia ignorabat, nec quæ ab ipsis possent effingi. Altissimæ rerum cognitioni animum adedò serenum iunxit, adedò indulgentem, quem (etsi hac ætate) nec ipse festivissimæ iuventutis lepos assequatur.

Illud

Illud omittendum, non eidem cordi fuisse homines ætate florentes, in quibus eruditionis & gloriæ vigeat desiderium.

Me certè protinus eximia charitate est amplexus. Libros, afflicto solatium, dedit. Filii etiam compellatione in me auxit fiduciam. Ego verò sæpius ad ipsum: Pater, aiebam, Dii non nullam misericordiam mihi impertivêre. Ablati Mentoris in te fidem, in te præsidium reddiderunt. Neque ego virum illum Deorum spiritu dubito valuisse. Orphei certè, Linive imaginem præferebat. È memoria mihi pronuntiabat, quos composuerat, modos. Aliosque tradidit haud ita paucos, qui ex optimorum poëtarum vena propitiis Musis fluxerant. Simul atque longa & insoliti candoris tunica indutus ebur lyræ sollicitabat manu, exciri tygres, urfi properare, Leones accurrere, adulari, pedes demulcere linguâ: prosilire è nemoribus Satyri, & iucundo saltu coronare. Ipsæ adèò arbores moveri visæ; positâque asperitate ad numerorum suavitatem petræ avidiùs imminere. Deorum magnitudo & excellentia erant, quæ celebrabat cantu. Aliàs illustrium virorum fortitudo personare iussa, atque eos demum sapere, qui voluptati gloriam anteponerent.

Frequenter hortabatur, animum erigerem; nec Ulyssi defuturos Deos, nec Ulyssis filio. Ad ultimum asseverabat etiam, futurum per me, ut (quod factum ab Apolline) Musas gregibus discant pastores coniungere.

Iupiter, inquit, occupato ad aureæ lucis detrimentum fulminibûs cælo Appollinem offenderat: cùm iste auctores fulminum Cyclopes telo conficit,

eit, doloris sui opportunam victimam. Extemplâ  
 vacare turbinibus ignium, flammarúmque procel-  
 lis Ætna; cessare horror malleorum, quibus af-  
 flictis ad incudem impressæ telluris visceribus ca-  
 vernæ, pelagique profunda remugiebant. Rubi-  
 gine squallere ferrum, æra in scabiem incidere, à  
 qua illa vendicare poliendi industriâ Cyclopes  
 consueverant. Ergo ex fumigantis officinæ suæ  
 faucibus profilit Mulciber; quanquam rigentibus  
 altero pede nervis, turbulentè in Olympum elu-  
 statur. Pulvere ac sudore perfusus adit conscripta  
 Numina: gravissimis querelis omnium aures ob-  
 tundit. Indignitate rei commovetur Iupiter: pro-  
 scribitur reus: Apollo in terras detruditur. Hæ-  
 rebat, quo vehebatur, excusso rectore currus,  
 sponte omissis destinatis cursibus, quibus dies &  
 noctes, statæque vices temporum demensæ.  
 Extinctum vetustum decus, radii. Tam subita re-  
 rum mutatione compulsus Apollo, dignitatem  
 Numinis cum pastoris habitu, æterna Iovis palatia  
 cum Admeti caula mutavit; pascendoque pecori  
 eius deinceps intentus, ludebat fistula. Nemo pa-  
 storum fuit, quem non traxerit ad fontis liquidi,  
 multaque ulmorum amœnitate inumbrati, margi-  
 nes cupido cantus eius audiendi. Atque illi adhuc  
 feram agrestemque vitam ducebant, quique gre-  
 ges agere, lanam defecare, exprimere lac & ex-  
 pressum cogere noverat, omnes ruris artes crede-  
 batur exhaustisse. Quædam etiam eremi asperitas  
 omnem agrum invaserat.

Igitur Apollo, quæ simplicem ruri vitam expe-  
 ribilem quoque facerent, incolas edocere non di-  
 stulit. Nunc florum pulchritudinem, nunc odorum  
 præ-

præstantiam, quarum altera Veris dignitatem, altera delicias adiuuaret; nunc enascentes ad mollienda euntinm vestigia herbas canebat. Quanta æstivos dies exciperet iucunditas noctium, quæ lenes Zephyros, quæ dulces è cælo rores (illos æstu fatigatis hominibus, istos vapore folis arenibus terris solatium) adveherent, memorabat. Aliàs pomorum pretia, quæ Autumnus mercedi parturit agrestis industriæ, aliàs brumale otium extollebat, quod consuetis ad focos saltibus iuventus tolerabiliter petulans agit. Sylvestres denique umbras illustrabat cantu, quæ montium iugis vallibusque incubantes, nocturnam interdium scenam protrahunt, Mæandrò licentiùs oberrantibus rivis, atque ridenti prato liquidum spectaculum infundentibus. Atque ita quam bellè ruri vivere liceat ad simplicis naturæ oblectamenta non rudem gustum afferentibus, ostendit. Et facilè intellexère quantumlibet agrestes discipuli, ipsam adèò fistulam regum sceptris potiozem. Ingenti voluptates, quæ auratas Principum aspernantur domos; commigrabant in humiles casas non singulæ, sed per turmas intrusæ. Quocunquè castissimæ gregum custodes tulerunt gradum: eas Amores; Ritus; Gratia, sequebantur. Dies singulos percurrere pastorum Hilaria. Una deinceps oblectatio aurium erat vel ex lepidissimis avium garritibus, vel quam aspirabant dulces Zephyrorum animæ; motis arborum ramis leniter collutantes; vel quam susurri perennium & de petra cadentium aquarum movebant, aut rusticanae Iuventutis moduli; cum sequebatur Apollinem, à benignè obviis Musis inspirati. Ille porro ex  
æmula

æmula currendi velocitate palmam, ille damas cervósque iaculis insectando sylvestrem referre prædam docuit. Iamque adeò super his Deorum invidia tentari cœperat, amplitudinem suam, quantalibet pollerent in astris, novo vivendi instituto inferiorem ducentium. Itaque, ne mortalibus Olympus vilesceret, revocatus ab exilio Phœbus ordinem suum recuperavit.

Ex quibus tu quidem, mi fili, quoniam urgeris Apollinis fato, quid agendum tibi, intelliges. Age! solitudinem solitudini detrahe. Fac etiam deserta emicent in florem, & discant gignere sterilia. Fac, audiant, qui præfunt gregibus, quàm non inanes sint, in aures absque discordia influentes numeri; mitiga efferatos animos: proposita virtutis pulchritudine trahere. sentiant per te, quàm non iniucundum, imò quàm beatum sit gustare voluptates innoxias, solitudini domesticas, ruri sempiternas. Erit, mi fili, erit, cum debilitatus ægritudine, cum laceratus miserabilibus curis, quibus fata referere Purpuram, deflebis agrestis vitæ, quam damnas modò, iacturam in magnifico & superbo folio.

Hæc elocutus fistulam mihi tradidit, cuius eâ fuit, cum inflaretur, suavitas, ut, quia multiplicati repercussis montibus soni latius se diffundebant, mox è finitimis pascuis alliceret, qui novum Musicum circumstitere. Erat Divina quædam vocis meæ concentio. Arcani quoque imperus incessabant, quibus velut alienatus animus ad prædicandam amabilis naturæ in agros & pascua beneficentiam incitabatur. Diem integrum & noctem multam occupabant coniunctæ nostræ omnium voces. Cautæ gregisque obliti, quasi stupor quidam suspendisset  
men-



mentem, in eodem vestigio hærentes me stipabant, cum erudirentur cantu. Desertum in deserto abesse credidisses; abstersâque feritate aliam planè eamquæ iucundissimam faciem illi loci induerant, ab incolarum iam clementibus ingeniis quasi mitescente terra.

Inter hæc sæpiùs itum unà cum vicinis ad Apollinis templum, in quo Thermosiris Sacerdotio fungebatur. Procedebant lauro redimiti comites. Sequebantur ex iisdem pascuis puellæ, quæ cingentibus floribus, saltuque hilares muneribus onerabant verticem, quæ Numini voverant. his peractis ad apricum celebrata sacrificiorum solennia. Inter convivantium eupedias fuere caprarum oviûmque uberibus manu nostra expressum Lac; ex pomis dactyli, ficus, uvæ, & ipsæ recens à nobis lectæ. Accumbentibus torum cespites præbebant, umbram multa fronde arbores, ah! quàm illâ, quæ ab Regum, auro convestitis, laquearibus proiicitur, gratiorem!

Fortè Leo urgente atroci inedia in gregem meum sese ferocius immiserat. Ea res splendorem famæ, qua in agresti gente magnus cæperam haberi, omnibus numeris absolvit. Quippe ingentem stragem ineunti fortiùs, quàm ab armis tutiùs (virga enim mihi erat vix cogendæ capellæ sufficiens) occurrebam. Ille fluentem collo iubam surrigere, renidere efferatis dentibus, parare ungues, aridis æstuque accensis faucibus immanè dehiscere. Fulgurabant oculi, velut cruore suffuso, flammisque terribiles. Flagellabat iam hoc iam alterum latus protensa, & impetu atroci retorta cauda. Aggressus hostem in terram affixi, conficiendus  
sanè,

fanè, iturúsque in frustra, nisi lorica, quã ex pasto-  
rum in Ægypto more induebar, obstitisset disce-  
pturo. Ter deiectus, ter restaurato furore insiliit  
tanta atrocitate sublati fremitus, ut nemora com-  
pleret. Tandem coactum in lacertos, præclusis  
faucibus oppressi; monueruntque testes relata  
victoriæ, focii, ut interfecti adeò terribilis & ani-  
malis & adversarii exuviis insolito pugnandi ge-  
nere nobilitatos artus operirem.

Non continuere solitudinis ambitu sese, quæ  
gesseram. Omnem regionem Ægypti, deinde Se-  
sostris etiam palatium fama pervasit tanti facino-  
ris, & emendatæ, meo tum exemplò tum magiste-  
rio, rurì disciplinæ. Compertò itaque Rex, alte-  
rum captivorum (ut crediderat) Phœnicum æta-  
tem auream induxisse sterilibus et humanum cul-  
tum propè respicientibus locis, accersiri me iussit.  
Afficiebant Regalem animum moduli, & quidquid  
ad instituendas mentes hominum facit. Adsum:  
audior: placeo. Atque ille intelligens, se circum-  
ventum Metophis avaritiâ, eum æternis tenebris  
vinculisque mandatum privavit omnibus, quæ  
possidebat per scelus. Et, quàm malè, inquit, est  
imperantibus! quoties veritas fallit eorum vel  
apertos oculos! videlicet à latere sunt, qui illam  
reiciunt à Principis aditu, qui ex ipsa orationis,  
qua utuntur ad Reges, vanitate aucupantur scenus;  
qui ita temperare didicerunt flammam ambitionis,  
ut boni publici studio videantur ardere; qui simu-  
lant à se amari Regem, quamquam unam Regis  
ament, si largiatur, manum. Amant vero? Imò  
dum captat gratiam blanditia, prodimur perfidiâ,  
Mira deinde facilitate conversus ad me statuit,

C

navi-

navibus instructum militibusque, in patriam remittere ad liberandam ex amantium manibus Penelopen. Iam parata classis erat; iam omisis ceteris urgebamus abeundi propositum. Tunc verò mecum admirabiles fortunæ impetus perpendebam, subitò revocantis ad fastigium, quos depressit infra ceteros. Iam sperare etiam audebam ex hac rerum varietate, genitorem post difficillimos & tot annorum casus reversurum ad suos. Neque illud omisi, facere quoque fortunam posse, ut Mentorem recipiam, quanquam tum in extremas & ab hominum cognitione ferme remotas partes Æthiopiæ abductum. At dum morulam solvendi facio, ut diligentius de illo rumores colligerem: Sefostri extrema ætate improvise fato extinguitur. Et hoc est, quod telam calamitatum mearum retexuit.

Tanti, omnisque ætatis ac memoriæ clarissimi Regis obitus totum imperium afflixit non officioso sed vero dolore, quemque nulla ratio videbatur posse abstergere. Domus nulla fuit, quæ in Sefostre non desiderârit amicum verè bonum, tutorem præsentissimum, patrem. Viri ætate, sed tum mœrore magis confecti, manus proiciebant cœlo, potius cum eiulatu quàm gemitu: Nunquam, ah! nunquam meliori domino Ægyptus paruit. Et quando, eheu! quando parebit meliori? Decuit, o boni Superi! decuit hominem talem aut nunquam terris dare, aut nunquam auferre. Et quid nos esse voluistis Magno Sefostri superstites? Despera patria (iuniores suspirabant!) patres nostri felices, quibus licuit Rege tam bono senescere. Nos eheu! illum duntaxat vidimus,

mus, ut amissi eius acerbum desiderium relictos exhauriat. Ploratu, lamentisque & planctibus purpuratorum non dies, non noctes vacavere. Ipsos quadraginta dies tractæ exequiæ, infinito longin quarum etiam gentium concursu celebratæ. Omnium oculi supremum funeris obtutum, imaginem eius captabant animi. Neque pauci fuere, qui constituebant mori.

Ad doloris & iacturæ incrementum accedebat Bochoridis, quem in spem regni susceperat, ingenium. Neque enim aut in peregrinos facilis, aut avidus litterarum fuit. Virtutem parvi ducebat, minoris gloriam. Indignum sceptrô reddidit patriæ magnitudinis excellentia. Voluptatibus in-nutritus, saginatusque, & compositus ad belluæ ferociam, nullo loco humanum nomen habuit, ratus, mortales reliquos eius duntaxat causâ animam accepisse, ideoque viliores suâ. Libidinem explere, immensas opes, illam pecuniam paternâ & sanctissimâ curâ futuris necessitatibus præparatam conficere, affligere subditum, iniquissimis iudiciis miserorum sanguinem exsorbere, adorare stolidi placita vecordissimæ iuventutis, quæ stipabat latus eius, cum ignominia pulsus, quos tum ætas venerabiles effecerat, tum quòd Sesostris sese iis commisisset: hæc ferè sunt, ad quæ Bochoris omni cogitatione ferebatur. Non Rex, sed monstrum erat. Eaque res omnibus futuris subditis eius argumenta gemendi cumulavit. Et quanquam ob reverentiam paterni Nominis, universæ Ægypto tam cari, tam sancti, ignavos & immanes filii mores tolerarent, exitio tamen obviam infelix ruit, recusante throno degenerem hæredem diu pati.

Ceterùm aspectum patriæ mihi sperare deinceps haud licuit. Qua mare terras alluit, detinebar in custodia, turri inclusus ad Pelusium, unde ad meos rediturus fueram, nisi Sesostris occidisset. Ea nempe fuit Metophis solertia, ut non libertati modò, sed Regis etiam gratiæ fuerit restitutus. Igitur ut dolorem suum expleret ob defuncti Principis offensam, cui ipsum obieci, eò perduxit rem, ut illa mihi decerneretur custodia. Ergo dies noctesque mœrori datæ. Thermosiridis vaticinia, divina ex specu responsa vanitatis, qua nocturnæ imagines nobis illudunt, damnata. Iacebam incredibili quadam tristitia deiectus. Prospectus in mare dabatur, fluctus infimæ turri, in qua eram, advolvens. Naves plerumque aspexi, maris intemperie agitatas, & fortè perituras ad rupem, cui turris incumbibat. Quibus in præsentem licet exitio palantibus tantùm abest, ut condoluerim, ut magis vicem, quam patiebantur, inviderem. Aut quamprimum ad fati sui terminum, (sic cogitabam) aut in patriam pervenient; eheu! ad neutrum ego.

Dum animum istis impendo, dum inutili ægritudine conficior: ecce tibi oculos in nemus quoddam arbitrabar incidisse eminentium è navigiis malorum. Tumebat opertum carbasis mare, concepto vento; & quàm numerari queat, frequentius everberatum reiectabat spumas. Obruebat me allapsa omni ex parte vocum confusio. In littore incolarum multitudo erat; palantes alii, & discurrentes ad arma, alii velut in occursum conspectæ classis hostium effusi. Tyrii eam, Cypriique conflaverant; quæ res nec ad momentum me fefellit,  
ad

ad rei nauticæ notitiã experientiã malorum sensim erudiente fortunã. Videbantur eminus prospectanti non eadem sentire, aut velle Ægyptii. Et sanè haud difficulter in eam cogitationem sum ingressus, imperandi vecordiam alienasse à Bochoride subditorum animos, seditionique ac intestino bello subiecisse flammam. Factum, ut pugnam plenam sanguinis ac cædis ex alto spectaverim.

Iamque ope sua expositis, quæ poposcerant, peregrinarum gentium auxiliis Ægyptii aucti, populares suos invadunt. Nimirum Regem isti sequebantur, qui fortiter excluso metu incitamento suis fuit. Martem dixisses, aut Martis æmulum, Sanguinis rivi circum dimicantem fluebant. Atri cruoris spumæ rotas quadrigæ eius asperferant, per aggestos passim obtritorum, convulsorumque cadaverum cumulos ægrè moliendas. Neque ille, quippe florentibus annis, ingenti & firmo corporis habitu, imperiosis denique & truculentis moribus, promicantem ex oculis furorem, atque desperationem dissimulare potuit, præstanti equo non absimilis, cuius contumacia domantium operam fatigat. Inferebat eum in aperta discrimina fortitudo animi, ceterum quàm incauta, tam moderandi non patiens. Nec erroris iam commissi damnum resarcire, nec mandata certa dare, nec quæ instarent mala, noverat prospicere, nec miriùs agere cum iis adeò, quibus carere non poterat. Quæ quidem haud crimina fuere minùs boni ingenii (quippe non fortiori animo, quàm acriori mente pollebat) sed simpliciter ei indulgentis fortunæ. Indolem quoque pueri probam, dotésque

raras adulatione (pestifero discentium malo) depravârunt, quibus tradebatur in disciplinam.

Regnandi licentia iuxta, ac fortis quæque illi annuentis corruptus obsequio, existimavit nihil esse quantumvis iniqua & impotentius desideranti opponendum. Momenti unius mora, si quæ iniiciebatur, iram eius accendit; neque tunc petebat à ratione consilium, sed quasi amens ferebatur. Superbiæ furor abiecerat eum ad vilitatem, quam in brutis vel contemnimus vel formidamus; quâsque debebat naturæ beneficio, bonitas & sana ratio puncto temporis destituebant impotentem. Quid? quòd servi, quorum alioquin eminebat in Regem fides, & ipsi cogebantur aufugere, illis tantùm perseverare ausis, quos nefandum inhonestissimis cupiditatibus adulandi obsequium à furentis impetu præstabat immunes. Quæ res fecit, ut semper, quæ verè & maximè repugnabant saluti, eligeret; viris optimis eò denique adductis, ut tantam agendi vecordiam averfarentur.

Ille quidem effusè in se fluentem hostium multitudinem non fortiùs minùs, quòd diutiùs sustinuit. Ad ultimum tamen impar temeritas occidit. Vidi hîsce oculis pereuntem. Sagitta pectus eius transfixerat excussa Phœnicis manu. Itaque dimissis habenis, quibus se trahentes equos moderabatur, è curru infra pedes equorum suorum præceps ruit. Confestim ex Cypro miles cadaveri gladio caput dempsit, crinibusque raptum universis victoribus velut in triumpho spectandum exhibuit.

Hærebit me hercle, quamdiu reminisci dabitur, intimis medullis affixa species, quam à cervicibus revulsi

revulsi capitis aspectus impressit. Ut manabat cruore & sanie! ut oculi clausi & offusa caligine! vultus pallore deformatus, labia distorta, & quasi inceptum verbum sædè hiantia! ut in exanimato corpore adhuc perseverabat immanis gestuum ferocia! Nunquam sanè hæc horroris plena imago meos oculos fugiet. Et si astra mihi concefferint potiri regnò, tam miserabilis exitii spectator & testis identidem admonebor: Tantum imperandi merito, tantum felicitati potentiæ suæ reges detrahere, quantum imperio sanæ rationis. Ah! miserum hominem, qui destinatus in incrementum publicæ salutis, ab una destruendæ eius licentia potestatis suæ argumentum petit.

## TELEMACHUS.

## LIBER III.

**T**anta loquentis Telemachi sapientia Deam admirationi immerferat. Omnium maximè probabat, nihil celare iuvenem, quæ seu immaturitate consilii peccaverat, seu eorum, quæ Mentor olim suasit, neglectu. Vulgo quippe maioris & præstantis animi specimen erat accusare se, & (quod videbatur) ex inconsultè gestis consultè, moderatèque agendorum rudimentum elicere. Unde illa: perge, amabò. Fac intelligam ex te, quemadmodum ex Ægypto evaseris, atque hoc, tam cauto rerum, amico (Mentorem aspiciebat) post gravissimas iacturam eius acerbiùs dolendi causas denuo sis auctus. Hic Telemachus instaurato sermone: Cum numerò multis partibus